




1
7
393









CASPARIS SAGITTARII D.
HISTOR. SAXON. ET HIST. P.P.

PROGRAMMA

QVO
PRIVATAS PRÆLECTIONES
QVIBVS

LIBERARVM S. ROMAN. GERMANICI IMPERII CIVITATVM HISTORIAS

PROPOSITVRVS AC ILLVSTRATVRVS EST
INDICIT.

JENÆ ANNO CIↃ IↃC LXXXIX.
TYPIS NISIANIS.

Etsi jam a teneris, tum a B. Parente, tum ab optimo Præceptore, Henrico Bangerto, Historiæ Germanicæ studium mihi commendatum ac implantatum fuit; multo tamen id fieri cœpit magis, postqvam in incluta Helmstadiensi Academia, illustris viri, Hermanni Conringii scripta hujus generis varia diligenter legere, & ab ejus ore in publicis privatisq; diatribis, & (qvod in non exigua felicitatis parte pono) congressibus quoqve familiaribus mihi daretur pendere. At enim ex qvo per divinam gratiam, ac Serenissimorum Saxoniæ Ducum decretum, publica Historiarum professio mihi fuit demandata, sollicite in eo elaboravi, ut Germanicas Historias, utpote nostræ genti summe proficuas, excolerem, ac tam prælectione freqventiori,

qvam variis ſcriptis illuſtrarem. Qvia autem complures urbes Germanicæ rebus domi forisqve geſtis magnum & memorabile nomen jampridem ſunt indeptæ, ſummopere ſæpius dolui, qvod ſingularum hiſtoria nondum paulo curatius congeſta in lucem publicam prodierit. Nam quæ Munſterus, Reusnerus, Dreſſerus, Sauerus, & nonnulli alii collegerunt, qvamvis non plane contemnenda, pauciſſima tamen illa, ac non raro certis dubia, falſaqve veris immixta deprehendimus. Vt adeo non immerito mireris, magnos interdum viros, qvando ad perſcrutandas Germanicarum civitatum origines ac fortunã variam devenerint, vix alios, qvam qvos laudavi, duces ſeqvi, veterum monumentorum perveſtigatione poſthabita. Merito qvidem fateor, nondum omnium Teuthoni-

117 301

thonicarum urbium ortum ac fata reliqva luculẽtius esse exposita: sed aliqua ob crassum ævi stuporem nullatenus consignata; multa per temporum injuriam deperdita; plurima in tabulariis recondita latere. At vero si ea tantum, quæ in antiquioribus Romanis, & medii porro ævi scriptoribus ad hoc argumentum pertinentia habẽtur, observaremus, ac deinceps ad recentiores, qui his in literis præ ceteris excellunt, hoc est, ad Rhenanos, Velseros, Meibomios, Freheros, Goldastos, Brovveros, Lehmannos, Conringios, Bœcleros, Lambecios, nos converteremus; fieri non posset, qvin multa longe, ac vulgo fieri solet, exactius cognosceremus, inque usus nostros converteremus. Verum qvia multorum, præsertim in Academiis florentium juvenum, vel ætas, vel fortuna, vel propositum

situm

ſitum non permittit, laudatos aliosqve boni commatis ſcriptores curatius perveſtigare; æqvum eſt, ut illi, qvorum munus id efflagitat, eos pro virili ſublevent, ac tam ad Hiſtoricorum, qvam ad ipſarum rerum cognitionem manu qvaſi ducant. Hoc ipſum igitur brevi facere animus eſt privatis prælectionibus, qvibus omnium ac ſingularum Imperii Germanici liberarum urbium, ſecundum ſuos, ad qvos referuntur, Circulos diſpoſitarum, hiſtorias, ex ipſis fontibus, magna, & (qvod absqve jactantia dixerim) incredibili induſtria erutas, per compendium proponam, & luculentioribus plerumqve diſſertationibus illuſtrabo. Ceterum ut de methodo mea conſtet, non pigrabor illam paulo diſertius explicare. Primo, ſi quis vel unus, vel plures typis expreſſi Hiſtorici illius de qva acturi

ſumus

ſumus, urbis geſta conſignarint, eos, eorundemqve editiones, verſionem, dotes, nævos, afferam; nec manuſcriptorum, ſi qvi fuerint, & ad meam notitiam devenerint, negligens. Deinde nomen, origines, incrementa, fortunam variam, bella, fœdera, ſeditiones, & calamitates alias, religionem, ejusque immutationem, templorum, monaſteriorum, aliarumq; ædium publicarum fata, item immunitates, privilegia, clarorum virorũ natales, merita, obitum, & ſi quæ ſunt alia memoratu digna, ſecundum annorum, quibus qvæq; ad præſens usque tempus geſta, ſeriem recenſebo: ubiq; additurus, ex qvibus ſingula depromta ſint ſcriptoribus. Denique ſi nonnulla ita fuerint comparata, ut ad annales commode referri neqveant, ad calcem uniuscujusqve urbis hiſtoriæ ea differam. Ex

his

his facile apparebit, puto, me non modo ad ſolida hiſtoriarum fundamenta Auditores deducturum; ſed nihil etiam facile omisſurum, qvod ad ſingularum civitatum ſacrum & civilem ſtatum cognoſcendum ſpectaverit. Quibuscunque igitur volupe ac commodum eſt, mea in his prælectionibus opera uti, ii die hujus menſis ultimo hora ſecunda pomeridiana domi meæ convenient, ac porro re ipſa deprehendent, qvam non fuerim largo promiſſor hiatu, ſed, qvod in me receperim, divina adjutus ope, diligenter ac fideliter ſim ſervaturus. Scribebam die XIX. Octobris Anno

cIↄ Iↄc LXXXIX.